



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

III. Vt pellantur episcopi Pelagiani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

VALENTINIANI III. CÆSARIS
CONSTITVTIO

De diuersis ecclesiasticis capitibus in Galliam missa Theodosio Augusto x i. & Valentiniano Cæsare consulibus, anno Christi ccccxxv.

- | | |
|--|--|
| I. <i>Vt priuilegia ecclesis seruentur.</i> | IV. <i>Manichei item, omnesque heretici, cum mathematicis.</i> |
| II. <i>Clerici ad sæculares iudices non trahantur.</i> | V. <i>Vt Iudais causas agere, aut militare non liceat, nec mancipia Christiana habere.</i> |
| III. <i>Vt pellantur episcopi Pelagiani.</i> | |

Imperator Theodosius Augustus, & Valentinianus Cæsar, Armatio viro illustri præfecto prætorio Galliarum.

I.

Codicis
Theod. de
episcop.
eccles. &
cler. lib. 47.

PRIVILEGIA ecclesiarum, vel clericorum omnium, quæ sæculo nostro Tyrannus inuiderat, prona deuotione reuocamus. scilicet vt quidquid a diuis principibus finguli quique antistites impetrarunt, iugi solidata æternitate seruetur: nec cuiusquam audeat titillare præsumptio, in quo nos nobis magis præstitum confitemur.

II.

Clericos etiam, quos indiscretim ad sæculares iudices debere deduci infaustus præsumptor edixerat, episcopali audientiæ reseruamus: his manentibus, quæ circa eos sanxit antiquitas. Fas enim non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. Inlustris auctoritas tua omni æuo mansura, quæ iussimus in prouinciæ missa notitiam, præcipiet etiam sub pœna sacrilegii custodiri; specialiter id inlustribus comprehensura præceptis, vt in omnibus circa ecclesiastica priuilegia veterum principum statuta seruentur.

III.

Diuersos vero episcopos nefarium Pelagiani & Cælestiani dogmatis errorem sequentes, per Patroclum sacrosanctæ legis antistitem præcipimus conueniri. Quos quia confidimus emendari, nisi intra viginti dies ex conuentionis tempore, intra quos deliberandi tribuimus faculta-

VALENTINIANI IMP. CONSTITVTIO. 673

tem, errata correxerint, seseque catholicæ fidei reddiderint, Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum loco sacerdotium fidelius subrogari: quatenus præsentis erroris macula de populorum animis tergeatur, & futuræ bonum disciplinæ iustioris instituat.

I V.

Sane quia religiosos populos nullis decet superstitionibus deprauari, Manichæos, omnesque hæreticos, vel schismaticos, siue mathematicos, omnemque sectam catholicis inimicam, ab ipso aspectu urbium diuersarum exterminari debere præcipimus, ne præsentis quidem criminorum contagione foedentur.

Cod. Theod. De hæreticis l. 64.

V.

Iudæis quoque, vel paganis, causas agendi vel militandi licentiam denegamus: quibus Christianæ legis nolumus feruire personas, ne occasione dominii sectam venerandæ religionis immutent. Omnes igitur personas erroris infuisti iubemus excludi, nisi his emendatio matura subuenierit. Data VII. Idus Iulias Aquileiæ, cons. D. N. Theodosio Augusto XI. & Valentiniano Cæsare consulibus.

NOTA IACOBI SIRMONDI SOCIETATIS IESV.

^a *Valentiniani III. Cæsaris constitutio.*] In optimo & antiquissimo codice ecclesiæ Lugdunensis, in quo post Synodos Gallicanas adiecta ad finem sunt integræ diuersorum principum constitutiones 16. de rebus ecclesiasticis, ducto ab iis tribus initio, quæ iam editæ sunt ad calcem codicis Theodosiani, huic Valentiniani Cæsaris constitutioni, qui sexta ordine numeratur, titulus argumenti loco est huiusmodi: *Non licere clericos iudicio publico litigare, & omnes hæreticos debere de ciuitatibus proiici, & Christianos seruos non debere Iudæis seruire, & Iudæos non debere militare.*



CONCILIVM

CONTRA MASSALIANOS HÆRETICOS

IN ORIENTE CELEBRATVM ANNO CCCCXXVII.

sub Cælestino pontifice.

NOTA.

^a *Concilium.*] Anno Christi 429. Cælestini 4. Theodosii 20. celebrata est Synodus in oriente, in qua aduersus Massalianos hæreticos,

Causa, locus & tempus Concilii.

ANNO CHRISTI 427.